

cupio inquirere gradum eclipticæ, qui cum eo ascendit in sphaera recta, propono mihi 15 gra. 21. min. & quero complementum ipsius, scilicet 74 gra. 39. min. sinum eius 96432. duco in sinum maximæ declinationis solis, scilicet 29874. productum diuido in sinum perfectum, & proueniunt in quotiente 38451. arcus eius est 22. gra. 37. min. Si iam adsumo complementum ipsius 67. gra. 23. min. & propono itidem mihi sinum ipsius 92309. similiter etiam sinum 15. gra. 21. min. scilicet 26471. utrum eorum tanquam minorem duxero in sinum totum, & per maiorem 92309. diuisero, proueniunt in quotiente 28676. arcus eius est 16. gra. 40. min. qui arcus est eclipticæ, numeratus à proxima interfectione eclipticæ & æquidialis, estque ille gradus 16. min. 40. V, atque ipsa intronizationis hora fuit in medio cœli.

PRONVNCIATVM XXVI.

Quatuor illos angulos, quos ecliptica caussat cum meridiano, ad unumquodque punctum, quo ecliptica meridianum tangit, artificiose cognoscere.

Operæ precium hic principio fuerit præscire te, quod hic ex 4 istis angulis unicuique tantum te inuenire docebimus, quo cognito reliqui tres per se patent ex subtractione, neque plures uno hic te indagare necesse est. Deinde scias per hanc operationem in prima quarta zodiaci à principio ♈ usque ad finem ♀, inueniri angulum Borealem orientalem, in secunda à principio ♁ ad finem ♃ angulum orientale meridionale, in tertia uero quarta à principio ♄ ad finem ♆ angulum meridionale orientale, & in ultima quarta etiam includi angulum Boreale orientale. Operatio itaque ista sic conficiet, propone tibi illam zodiaci quartam, in qua punctum eclipticæ inuenit, & quære gradum æquinoctialis, qui cum cum illo in sphaera recta tangit horizontem iuxta pronunciatum 7. deinde distantiam accipe puncti illius à proxima interfectione æquinoctialis, & propone tibi sinum sui complementi, eum duc in sinum maximæ declinationis, productum diuide in sinum totum, & quotientis arcus ex quadrante circuli relinquet angulum tibi quaesitum. Ex quo si cæteros etiam angulos scire cupis, tunc subtrahere angulum inuentum ex gradibus semicirculi, & in residuo manebit angulus eius collateralis, qui iuxta illum est in medietate cœli orientalis. Hinc si quantitatem anguli Borealis occidentalis cupis habere, adsume tibi quantitatem anguli orientalis meridionalis, quam angulus contra se positi semper sunt æquales. Exemplum hoc tibi rem planius ostendet, si uelim ad diuinonizationis scire quantitatem 4. illorum angulorum meridiani & eclipticæ planè in ipso meridie, quoniam gradus 2. mi. 26. II, ubi tunc sol erat, tetigit meridianum. Primum omnium quero per punctum 7. ascensionem rectam gradus ☉, quæ est 60. gr. 21. mi. tantum abest etiam à proxima interfectione, complementum illius est 29. gra. 39. mi. Iam si sinum eius 49470. ducam in sinum maximæ declinationis 39874. productum diuidam in sinum totum, tunc in quotiente prouenit 19726. arcus eius est 11. gra. 37. mi. qui & angulus est. Gradus autem illos & minutum subtraxero à 90. tunc remanebunt 78. gra. 37. mi. angulus scilicet Borealis orientalis quaesitus; hunc ubi subtraho à 180. ipso nimirum semicirculo, remanent 101. gra. 23. mi. quantum illa anguli Australis orientalis, & tantus etiam erit angulus occidentalis Borealis, similiter illi primo, scilicet 78. gra. 37. mi. æqualis est angulus occidentalis meridionalis. Et hoc modo satis mea qui de sententia uidentur anguli isti excussi.

PRONVNCIATVM XXVII.

Eosdem angulos quatuor, quos ecliptica facit cum meridiano, facilius inquirere.

Quod si angulos illos diuerso modo cupis inuenire, grauatus forsitan nimium, plura ista superiorum & opposita operatione, propone tibi sinum distantiae arcus puncti eclipticæ quantum distat à proxima interfectione eclipticæ & meridiani, sinum illius rectum tibi propone, similiter & sinum complementum ipsius ascensionis rectæ, quæ ex 7. pronunciatum inuenisti, & deinde sinum minorem duc in sinum totum, productum diuide in maiorem, & arcus quotientis ostendet angulum quaesitum, Boreale orientale in quarta prima, in secunda autem quarta zodiaci monstrat angulum orientale meridionale, in tertia angulum orientale meridionale, quarta similiter ut prima ostendit angulum Boreale orientale. Reliquos tres angulos ita inuenies, ut precedenti pronunciatum edoctus es. Exemplum hic tibi dabimus huiusmodi, in ipso die intronizationis gradus ☉, ut antea diximus, fuit 2. gra. 26. mi.